

JUSTA
 IN CELEBRITATE FUNERIS
 VIRI
 MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
 CONSULTISSIMIQUE
 DOMINI
GARLIEB SILLEM

F. U. L.

INCLYTÆ REIP. HAMBURGENSIS
CONSULIS SENIORIS
 ET CUM MAXIME
PRÆSIDIS

MERITIS ET GLORIA CUMULATISSIMI

DIE EXEQUIARUM NONIS JANUAR.

ANNI NOVI MDCCXXXIII.

MEMORIÆ EJUS DESIDERATISSIMÆ

PERSOLUTA

INTERPRETE LUCTUS PUBLICI

JOH. ALBERTO FABRICIO,


SS. THEOL. D. MORALIUM ATQVE ELOQVENTIÆ PROF. PUBL.

ET GYMNASII h. a. RECTORE.



HAMBURGI,

TYPIS CONRADI KÖNIGII, AMPLISSIMI SENATUS ET GYMNASII TYPOGRAPHI.



Ergo SILLEMIUM Lazareus sopor
 Urget! cui pudor, & iustitia soror,
 Incorrupta fides, nullaque Veritas
 Quando sulum invenient parant?
 Nulli ille bonis febrilis occidit,
 Nulli febilior PATRIA quam TIBI!

Quam gravis hinc & inopinatus Curiam, Urbem, universos nos, casus percudit, percellereque necessario debuit hac in Civitate animos omnium, qui Consulem suum præcipuum exoptatissimumque, cuius agnoscebant merita magna in se multaque, cuius plenam humanitatis Virtutem, ac dexteritatem erant admirati, quem ante paucissimos dies firmum atque incolumen, ætate necdum vergente & integris adhuc viribus, atque ut solebat semper facere, amplissimi muneris sui partes alacritate & constantia incredibili obeuntem viderant, hunc jam subito intelligunt sublatum ex rebus humanis, atque vehementis morbi vi extinctum coguntur desiderare!

Quod tam improvisum accidit omnibus, unum B. Consulem fallere nequicquam potuit, neque insperanti illi inexpectata fata supervenere. Verum certissime comperitur illē diu & pulchre hæc etiam atque etiam præmeditatus id egisse diligenter, ut e recto & Christiano more animoque mortem identidem cogitans, tanquam imminenti propius obviam iret sine trepidatione, atque ad illam veluti familiariorem jam fortiter præparato pectore, quodocunque videlicet DOMINO visum foret bonum ac fidelem servum ad se evocare, adesset impiger, ac per mortis etiam tenebricosum callem obsequi ejus nutui, ingenti in DEUM ac SALVATOREM suum fiducia nihil cunctaretur. Hujus rei documenta non inficianda peterē subinde licuit ex illius adhuc spiran-

spirantis sermonibus, clarissime autem illud apparuit demum post B. Consulis obitum, cum in schedis deprehensus est reliquisse manu suâ, consignata ea, quæ fidem facerent mature eum, & valente adhuc corporis robore, accuratos retulisse in commentarios quæ ad *eu Savariorum* magna ac læta mente expectandam pertinerent. Itaque quod septuagenario jam major Augustus olim & cum morbo luctatus fecit, ut mandata de funere suo conscriberet, hoc noster annis & viribus integer putavit faciendum sibi esse, exstatque chirographum ejus, quo singula illa perspicue exposita sunt: Sacras etiam odas quæ in templo forent inter funebres musicas modulationes decantandæ, ipse composuit ac digessit, quæ non minus de illius in DEUM pietatē ac fide, quam ut memorem leti vitam vixerit, præclare testantur. Cumque jampridem mos iste sit in hac urbe receptus, ut in funere publico Consulari, inter prosequentium funus ordinem puerorum distribuatur numus proprie ad hoc cusus, & memoriam defuncti commendans singulari aliquo emblemate: ipse quoque de eo non neglexit cogitare, materiemque emblematis a vita dare jussit Gentis SILLEMÆ insignia, quæ ternionem spirarum referunt: has ille matūra demissis capitibus grana in terram demittentes exhiberi voluit, adpositis lemmatis loco hæc verbis: SPE MELIORIS: quæ ipsa lætam fiduciam futuræ certissimæ resurrectionis pulchre ac luculenter testantur.

Cogitavit etiam B. Consul de hoc ipso tenui officio quod triste jam & luctuosum præsentis scriptione persolvere defuncto cum maxime ingredior: tam severa autem lege auctorem futurum programmatum epitaphii sui devinxit, tam sancte ac districte illi omnibus exaggeratarum laudum phaleris interdixit, ita procul ab omni adulationis suspitione voluit totum eum abesse, ut qui tam prudenter fallā, inanum laudicensorum præconia contempsit, idem verissimis laudibus abundare per hanc ipsam modestiæ confessionem facile possit intelligi. Obsequar igitur iustis, voluntati desideratissimi Consulis obtemperabo, neque imaginem nativa insignem pulchritudine, fūco & adscititiis deformare coloribus aggrediar, sed memoriam B. SILLEMII, quæ sancta & venerabilis omnibus Civitatem nostram amantibus esse

* Verordnung des Gottseel. Herrn Bürgermeisters, wie es nach seinem Tode soll gehalten werden, s. VI.
Dem Herrn Verfasser des Programmatum will ich auf die Seele gebunden haben, sich aller Schmeicheleyen und Lobes- Erhebungen darinnen zu enthalten. Es sind dieselbe nichts nütze, und nur bey meinem Leben sehr ärgerlich jederzeit gewesen. Solte ich etwas gutes in der Welt ausgerichtet haben, wochin ich mich wenigstens unter Göttlichem Beystande bestrebet, so habe ich jedemoch nichts gethan als was ich schuldig gewesen, und werde vor GOTT und Menschen nichts desto weniger ein unnützer Knecht verbleiben.

esse debet; simplici recolam stylo, quem qualemque Virum in illo habuerit Patria, quam carum Caput eo erepto e vivis, amiserit, brevi narratione & totius Urbis omniumque, qui eum norunt conscientia testata, demonstraturus.

Non obscuris satus initiis, majorem gloriam meritis suis quam generi debet, licet contigerit ipsi utrumque paternum pariter & à matre nobilissimum, ex quo procreatus demerendus hominibus est Hamburgi d. XV. Junii A. C. MDCLXXV Patrem HIERONYMUM SILLEMIUM, Senatore multæ imagines avitæ in Amplissimo Ordine à ducentis ferme annis decorabant, sed longe magis illustravit sollers Virtus Constantia, quibus de invidia etiam fortunæ & injuriis inimicorum vivus, ut deinde post fata in filio triumphavit. Matrem MARGARETHAM, ex stirpe inclyta LANGENBECKIORUM, a cujus parente, Senatore & ipso, GARLIEB LANGENBECKIO, conveniens plane amatissimi prænomen poster tulit, quemadmodum ex abavo HERMANNO LANGENBECKIO Consularis jam cœperat esse familia ab A. MCCCCLXXVIII.

In puero & adolescente docilitatem ingenii, alacritatem & amorem in litteras, in juvene pectus generoso incoctum honore quid attinet commemorare, quibus inter æquales explevit atque inter severam Parentis curam in scholis domesticis publicisque, atque in Gymnasio patrio alios incitavit studio suo atque ita profecit, ut annos natus viginti cum fructu posset adre Academicam, Viadrinam primum, deinde A. MDCXCVIII, etiam Hallensem, atque in utraque Doctoribus celebribus dare operam, in Francofurtensi quidem tum aliis, tum præcipue quorum solebat gratus frequentius meminisse, HENRICO COCCEJO atque JO. CHRISTOPHORO BEGMANNO: in Hallensi, Jurisconsultissimo Viro SAMUEL STRYCKIO. Post lustratas deinceps Belgicam, Galliasque, & nobiliores Germaniæ provincias utili consilio duxit sibi per aliquod tempus commorandum Viennæ Austriæ in regia Imperatoris, tanquam Germanici Juris templo & arce hinc aulas principales Germanicas cognoscendas, speciatim inclytas ambas Hanoveranam atque Brunsvicensem: donec patris laribus A. M D C C I V. redditus, ab illis initiis primum cœpit Civibus suis prodesse, a quibus Romæ olim Viri summi & Magistratibus nati atque Imperiis auspiciam bene de plurimis merendi feliciter ceperunt, ut togatæ nomen daret militiæ in foro, sed nobili illi ac decenti, quæ pro sollicitis non tacita

tacita reis horret pro mala causa vel in longum protrahenda innocentes distringere ficam ingenii, atque inter rapinas insatiabiles certare probris & justitiam prostituere. Licentiae J. U. quam vocant dignitatem conferri sibi passus est Franekeræ, assertis pro cathedra Theibus selectis ex Jure A. MDCCVIII.

Reversum iterum ad patrios penates, atque non in orandis causis modo, sed etiam in publicis Collegiorum Civilium consultationibus utilem operam collocare strenue pergentem, ecce amplius theatrum excipit. Communibus enim Patrum Reip. suffragiis A. MDCCX. Syndicus quartus cooptatur, triumvirisque nobilissimis adjungitur, qui honor omnium ei obtigit primo: siquidem tres antea soli cum fuissent, aucta ut sit negotiorum multitudine, quatuor ab hoc tempore creati coeperunt. Quam amplius hic campus aperitur volenti exponere, quanto pere tunc rebus maxime turbidis ac difficilibus Remp. juverit industria, fide, consilio, sollertia, æquitate, pacis & concordiae studio. Auctoritatis Patrum, Civiumque Libertatis pariter constans assertor & fidelis: quantum decus & emolumentum attulerit in negotiis arduis maximique momenti communi bono: quas legationes suscepit ad Reges & Principes, Reip. causa, susceptasque obient feliciter, quibus delectabili svada sua & sapiente hoc identidem effecit, ut Gratia ipsorum ac Benevolentia Urbi conciliaretur conservareturque integra, remitteretur ira vel frigus, causae difficiles componerentur. Idem Orator A. MDCCXIV. missus ad gloriosae memoriae Principem GEORGIUM I, Electorem Hanoveranum, Regni illi magnae Britanniae & Hiberniae recens ab eo capeffiti prospera auspicia Reip. nomine gratulaturus, quod & ipsum magna cum laude sua & favente Regis Majestate est exsequutus.

Nunquam vero domi ejus, etiamnum Syndici, fides, constantia, charitas in homines, & circumspecta ac sollers sagacitas magis eluxit, quam tempore illo calamitosissimo, quo pestilens lues longe lateque grassata hanc etiam Urbem coeperat affligere A. MDCCXII, cujus vis contagiosa proxime infecuto A. MDCCXIII. quo obsepti etiam & conclusi externis custodiis tenebamur, quamplurimos necavit, & longe latius serpsisset majoremque cladem edidisset, nisi provida Patrum Optimorum cura constituto Collegio sanitatis tria haec sapienti consilio maxima peregisset ad salutem publicam tuendam necessaria, quae adspirante summi Numinis benignitate, efficacissima etiam sistendae calamitati, eventus comprobavit. *Primum* quidem fuit ut pauperioris plebis prospiceretur egestati ac sordibus, neque

angustias necessariorum ac salubris victus defectum, plus apud
 miseros inopia rerum omnium, quam lues ipsa malum accenderet:
 quæ res uti de prudenti vere Patrum charitate & paterno in Cives
 affectu insigniter testatur, ita quantos requisiverit sumtus, quan-
 tam in dispensando industriam, circumspectionem, fidem ac sol-
 lertiam postulaverit, intelligere quilibet potest. *Alterum*, ut quam-
 primùm aliquem corripuisset pestilitas, præsentibus Medicis &
 medicamentis nihil ad curandum morbum ei deesset, mature vero
 ad cohibendam contagis vim ut diligenter is ab valentium ho-
 minum consuetudine sejungeretur, sive in propriis ædibus ac-
 curate ab aliorum accessu defensis ac prohibitis, sive in aliquo
 nosocomiorum publicorum, omnibus ad curandos pestilentia af-
 flatos necessariis instructorum. *Tertium* denique, ut in defun-
 ctis sepeliendis ea ratio & loci haberetur & temporis, cætero-
 rumque omnium, ut quam minimum inde detrimenti capere
 vivi ac superstites possent, & tota illa res procul ab hominum
 oculis noctu perageretur ab iis, qui ab sanorum consortio re-
 moti viverent. Hæc omnia & singula curanda, cognoscenda,
 regenda unius tunc SILLEMII humeris maxime incumben-
 bant, qui Collegio sanitatis præpositus & in destinandis admi-
 nistrandæ tantæ rerum mole idoneis hominibus, & in officiis
 injungendis, poscendaque de illis bene an male administratis ra-
 tione, curam & laborem tunc communi bono incredibilem
 peregit, nec magnum tantum ingentique indigentem solertia
 & circumspectione, sed plenissimum periculi quoque, cuius
 vim & ipse in corpore suo fuit expertus, licet id clam suos ha-
 buerit, lethiferam futuram haud dubie, nisi clemens DEI dex-
 tera malum levasset, majorique Patriæ bono servatum illum re-
 creasset iterum ac restituisset.

Annus MDCCXVII. die XXVIII. Augusti finem vitæ
 attulit venerando Seni PETRO LUTKENIO, qui per tri-
 ginta annos Consulatum præclaro Patriæ emolumento gesserat.
 Huic felici fidere succenturiatus est noster die VII. Septembris,
 non sine omine, futurum ut & ipse, quod promittebat ætas
 vigorque virium, summo illo Magistratu per non brevius spa-
 tium perfunderetur. Quamquam vero dimidium vix modo tem-
 poris illi in hac dignitate gerenda concessum fuit, tamen affir-
 mari potest plurium annorum mensuram, temporibus lætioribus,
 consilio, vigilantia, auctoritate & constantia sua explevisse, res ma-
 gnas ad publicam utilitatem instituisse vel moderatum esse, malas
 & noxias futuras, sicut insanam illam Actionum utopicarum nun-
 dinationem, in tempore declinasse & a capitibus nostris avertisse.
 Verum

7

Verum hæc pro dignitate explicare non est meum, neque con-
venit apta Annalibus & monumentis ituris ad posteros, tenui
hac scriptione obsolescere. Illud non præterierim, quod adeo
alienus fuit B. Consul a *δωροφωρίας* suspicione, ut nullis magis pro-
fessus fuerit inimicus, quam si qui licitari vellent jus &
fas pecuniis, vel per numarios interpretes abduci se a justa
sententia, vel largitione labefactari fidem, aut pretio ven-
dere quod officii erat paterentur. Itaque magnus autor ab-
stinentiæ & integritatis dux dicere solebat se etiam a permis-
sis & speciosis manum libenter abstinere largitionibus, ne deli-
nitus earum suavitatem gustando, facilius periculum corruptio-
nis posset incurrere. Audivi & hanc ejus vocem, præclaram
certe & dignam magno ejus animo: Hoc saltem debere se honori
quem Patria ei habuisset, & beneficiis quibus eum cumulasset,
ut incorruptum hoc ei præstaret fidei & sine fordibus debitum.

Publicis curis, familiarium interpositurus necessitudinum
suavitatem; & negotiorum seriorum vices laborumque quotidie
sibi identidem succedentium & concatenatorum molem consue-
tudine domestica levaturus, connubio sibi exoptato ac stabili jun-
xit d. III. Januar. A. MDCCXVIII. Virginem nobilissimam
JOHANNAM, præclari & inter magnarios Urbis hujus ne-
gotiatores jam pridem celebratissimi Viri GERHARDI GUL-
LII filiam secundo genitam, ex qua sobolem triplicem suscepit,
filium cognominem parenti, & magni Patris expressum instar
non vana Patriæ promittentem spe GARLIEBIUM, filiasque
duas suavissimas, JOHANNAM & LUCIAM, omnes tres Di-
vino vivos adhuc & spirantes beneficio, & charissimi desideratis-
simique Genitoris discessum una cum vidua Matre incredibilibus
prosequentes lacrymis, Divinum quoque lenimentum summi,
& tam justis doloris, plenamque consolationis gratiam & opem,
suffragantibus omnium bonorum votis certissime sibi promit-
tentes. JOHANNA prima in lucem edita, felici prole pa-
rentem fecit d. XXVII. Februarii A. MDCCXX. Insecuta
deinde LUCIA, d. VI. Maji A. MDCCXXIII. Tertius
GARLIEBIUS d. XIII. Maji A. MDCCXXVI.

Anno MDCCXIX Dominica XIV. post SS. Trinitatis festum, quæ diei
decimo Septembris respondebat, in vicinia majoris novi Templi ansa data erat
ingenti tumultui, qui bonam hanc Urbem furore plebis insanæ in graves iras
aquissimi ac clementissimi Cæsaris adduxerat. In ædibus Cæsarei Ministri sa-
cra Romana a longo tempore, nemine impediante, celebrata fuerant iis con-
ditionibus, quibus jure Gentium consuevere legatis magnorum Principum di-
versæ Religionis eorumque domesticis permitti, atque in ipsa etiam regia Impe-
ratoris conceduntur legatis Augustanæ Confessionis subscriptoribus. Illo tem-
pore autem majus aliquid moliri credebantur Romanæ Ecclesiæ homines: vi-
sæ enim

ſæ enim ſunt ſuſpectæ eſſe majores ſolitis ſubſtructiones, & poſitus ſolenni ritu d. XX. Maji A. MDCCXIX primus lapis auguſto ſub nomine, ſacello Carolo Boromæo dedicati. Hinc audiri murmuraciones, hinc graves atque iteratæ querelæ ad eos, ad quos pertinebat, a ſacro Ordine delatæ. Interim dum propius res inſpicienda ſuſcipitur, dum conſultatur de remediis, & ad litteras Viennam datas exſpectatur reſponſum, ecce illo quem dixi die Sept. mane, circa horam nonam matutinam medio inter templum majus novæ Urbis & ſacellum Pontificum loco rixationes, quarum inſaniæ jam ante tres hebdomades ſimilibus plus quam ineptiis præluſerant, oriuntur inter pueros majores Pontificios noſtrosque eo ipſo tempore, quo ſacra in templo noſtro peraguntur: ac Pontificiis inſolentius ſe gerentibus, & ſaxis etiam petentibus Templi fenestras, clamor ingens & concursus noſtratum puerorum, quibus alii, ut fit, facile ex plebis ſæce ſe jurgunt, petunt magno impetu ſacellum, atque intra breve tempus non illud modo, ſacraque in eo omnia evertunt, ſpoliant, corrumpunt, ſed quoque Cæſarei ædes omneque in illa instrumentum cum ſupelleſtilibus & ſcæptis etiam omnibus ac monumentis diripiunt perduntque; quem inſanientium furorem exploſi, ut ajunt, ex ædibus illis ignes magis etiam accenderunt. Magnam crimen haud dubie! verum eorum qui illius fuere auctores: Civitatis vero infortuniū ingens, à qua pœnas debitas Majeſtas Imperatoris reſpicebat. Itaque deſuncto jam & ſubducto rebus humanis, qui A. MDCCXIX Reipublicæ præfuerat B. BERNHARDO MATFELDIO, ablegari Conſulem SILLEMIUM oportuit, qui Cæſari pro Civitate ſupplex ſatiſfaceret, quamobrem menſe Aprili A. MDCCXXI. cum Ampliſſimo BROCKESIO, comitantibus duobus ex ſpectabili Quindecimvirorum Collegio FRIDERICO WAHNIO, *raſi managſtry* & CHRISTOPHORO DARNEDDEN *conten-* dit Viennam, atque inde d. XXVII. Octobris ejuſdem Anni redux, *felicem illud* itineris fructum, reconciliatum Civitati Cæſarem, * & condonatum *illud* quodcunque admiſſum omne, lætanti Patriæ domum retulit.

Post beatum diſceſſum laudatiſſimi Conſulum exempli D. GERHARDI SCHROEDERI, qui incidit in d. XXVIII. Januarii A. MDCCXXIII. aliquot adhuc annis minor quinquagenario, quem opido ſenem futurum omnes ſperabamus optabamusque, ſenior factus eſt Magnifici Conſulum Quaternionis, & alias ſimul ampliſſimas gravi huic perſonæ junctas dignitates ac functiones una cum Generaliſſimi in militiam Urbicam imperio in ſe ſuſcepit, in eoque Præfectum Urbis, Excellentiſſimum Dominum HENRICUM OTTONEM de ALBEDYL ſolenni allocutione militari inauguravit menſe Decembri A. MDCCXXIV. Summum Conſulis Præſidis Verbipotentis Magiſtratum geſſit quinq̄ies, & in quinti peracto propemodum ſtadio per ſubitam febris ardentis vehementiam deſiciens, incredibile poſt ſe reliquit deſiderium ſuū. Pletnus melioris Vitæ ſpe, magna in DEUM ac SALVATOREM ſuum fiducia naturæ modum explevit media feria Natalitiorum CHRISTI dimidia undecima noctis XXVI. Decembr. A. MDCCXXXII. Corpus ex ſanguine tumultu bitur in æde Petrina die quinto Januarii Anni novi orientis, qui ut Ampliſſimo Patrum Ordini fauſtus & felix minimeque feralis illuxerit, graviſſimamque quam in beate deſuncto fecimus, jacturam altero SILLEMII ſimili rebus Patriæ lætis reſarciat, DEUM per CHRISTUM unice rogamus.

* Herrn Brockes Irdiſches Bergmigen in GÖTT, T.I. p. 463.

Wenn nun der Theure **Sillmi**, der würd'ge Bürgermeiſter,
Durch Herzens-zwingende Beredsamkeit
Des Groſſen **CARLS** mit Recht erzürnte Geiſter
Besänftigt und geſtillt, . . .

